

DE
BENEDICTIONE MULIERIS

POST PARTUM.

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.

SUMMARIUM

- 1 Benedictio haec instituta est ab Ecclesia.
- 2 Habet connexionem cum Sacramento Matrimonii.
- 3 Partus est fructus Matrimonii.
- 4 Benedictio haec est de consilio, non de praecepto.
- 5 Verba hortatoria non obligant, etiam si essent verba Concilii.
- 6 Benedictio haec est antiquae originis.
- 7 Originem trahit a Veteri Testamento.
- 8 Maria virgo voluit implere hanc legem.
- 9 Mulieres Christianae hoc faciunt ad ejus imitationem.
- 10 Hoc fit quadragesimo die post partum.
- 11 Potest etiam anticipari, vel posticipari.
- 12 Haec Benedictio habet suam materiam, et suam formulam.
- 13 Causa finalis hujus Benedictionis.
- 14 An Puerpera ipsa sola, vel cum Prole accedere debeat.
- 15 Proles non benedicitur.
- 16 Fructus spirituales hujus Benedictionis.
- 17 An Puerperae possint sine hac Benedictione accedere ad Ecclesiam?
- 18 An benedictio haec fieri possit a solo Parocho.
- 19 An impertiri possit in sola Ecclesia Parochiali?
- 20 Potest dari in quavis Ecclesia, et a quovis Sacerdote.
- 21 Sacra Rit. Congr. resolvit in Contrarium.
- 22 Stola debet esse albi coloris.
- 23 Quare Puerpera genuflectat ad limen Ecclesiae?
- 24 Sistere non debet ad Portam Sacristiae.
- 25 Candela accensa quare deferatur a puerpera?
- 26 Candela an pertineat ad Benedicentem?
- 27 Oblationes aliae, quae in hac Benedictiōne solent fieri.
- 28 Aqua benedicta quare adhibeatur?
- 29 Stola quare porrigatur Puerperae?
- 30 Pars sinistra est porrigenda.
- 31 Mulier genuflectit, Sacerdos stat.
- 32 Altare ad quod se sistere debet Puerpera.
- 33 Oratio faciēda ad libitum Mulieris Puerperae.

- 34 Quare mulier de novo aspergatur Aqua Benedicta?
- 35 Psalmi XXIII. recitandi significatio.

1 2 3 Quamvis haec sit una ex Benedictionibus institutis ab Ecclesia, attamen in Rituali extra numerum Benedictionum ponitur, nulla prius data regula generali de modo tenendo in ea impertienda. Ratio est, quia cum haec aliquam connexionem habeat cum Sacramento Matrimonii, cujus fructus est Partus creaturae, satius duxit eam collocare immediate post Matrimonium, ut ita facilius ad manus accurrat Parochi tunc quando opus sit illam adhibere: atque ita extra numerum, sive extra Rubricas ad Benedictiones spectantes remansit. Rubrica itaque est.

§. I. Si qua Puerpera post partum, juxta piam, ac laudabilem consuetudinem, ad Ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratia actura, petieritque a Sacerdote Benedictionem, ipse Superpelliceo, et Stola alba indutus, cum Ministro Aspergillum deferente, ad fores Ecclesiae accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, Aqua benedicta aspergat, deinde dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.*

4 5 Haec Benedictio de consilio est, non de praecepto; per illa verba: *venire voluerit*, quae cum non praecipiant, sed hortentur, liberam voluntatem excitant, sed non obligant, *c. ult. in fine 4. dist. gloss. verb. statuta in cap. 1. ubi Abb. n. 9. et Felin. n. 20. de constit. etiamsi essent verba Concilii, quia concilii natura est, ut quamvis excitet ad deliberandum, non tamen obliget ad sequendum: ut multis citatis probatur in libello de principiis utriusque Juris, litt. c. num. 50. Hinc est, quod S. Carolus Concil. prov. 1. p. 2. non aliud dicit, nisi, quod Parochi moneant Puerperas, ut cum primum, post partum, domum exierint, mox ad Ecclesiam Deo gratias acturae accedant, ubi Benedictionem a Parocho suscipiant.*

6 7 Consuetudinem hanc antiquae originis esse in Ecclesia, testatur Quart, de Benedictionibus, num. 298. sect. 12. Praelud. 1. afferens *c. unicum, de Purific. post Partum, et dist. 5. c. si mulier*. A lege veteri antiqui Testamenti originem trahere satis patet ex *Levitico, cap. 12. ubi praecipitur*

ne Mulieres post Partum Templum ingrediantur, nisi praemissa Purificatione.

8 9 10 11 Hinc legem implere voluit Maria Virgo Dei Genitrix Immaculata non ex obligatione, quia legi non erat subjecta, sed ut suam eximiam puritatem, et humilitatem ostenderet. Ideo a Mulieribus Christianis hoc idem fit ad devotionem, et imitationem Dei Genitricis Mariae, quae nulla legis obligatione arctata sponte accessit ad Templum, quadragesimo die a suo Divino Partu. Hinc est quod etiam post quadragesimum diem solent Puerperae accedere ad hanc Benedictionem. Quod si citius a purgatione Partus expediantur, possunt anticipare hunc accessum, vel posticipare ad libitum, quod etiam laudabile erit, ne videantur tam rigore hebraicae legi adhaerere, quae ideo a Maria Virgine stricte imitata fuit, quia tunc lex illa non erat omnino abrogata: incipiebant enim infirmari, et perit tota in Cruce Christi Redemptoris.

12 13 Benedictio haec habet suam materiam, et suam formulam. Quartus, *ibid.* Materia, seu subjectum, est Mulier post Partum: Formula est illa, quae praescribitur a Rituali cum Psalmis, et Orationibus. Tandem finalis causa est gratiarum actio pro foecunditate a Deo Mulieri tradita, et pro felici ejus Partu habita, quatenus talis fuerit.

14 Nonnulla autem circa hunc ritum quaeri possunt, et primo: An Puerpera ipsa sola accedere debeat ad hanc Benedictionem, vel secum gestare Prolem suam recenter editam? Circa quod videtur, Quartum *dict. loc.* declarare favore Proles, dum dicit subjectum Benedictionis esse Mulierem cum prole recenter edita, Corsetus etiam *tr. 2. p. 2. cap. 8. sect. 2. num. 8.* asserit, deferendam esse Prolem ad Ecclesiam, ut pro ea preces ad Dominum fiant, et confirmatur a Castald. *Prax. l. 2. sect. 14. c. 9. n. 11.*

Insuper si hoc fit ad imitationem B. Mariae Virginis, certum est, quod ex S. Luca 2. habemus, eam obtulisse Puerum Jesum, et Simeonem illum accepisse in ulnas suas.

15 Nihilominus consuetudo invaluit ut solae Puerperae absque Prole accederent ad Templum, quia vere haec Benedictio ab Ecclesia instituta fuit ad benedicendas Puerperas, non vero earum prolem. Et de facto in precibus et Orationibus ad hanc Benedictionem adhibitis, semper mentio fit de Matre, nusquam vero de Filio, et Benedictiones supra illam cadunt, non super Prolem. Factum quoque fortasse hoc fuit ad effugiendum incommodum, et periculum deferendi, et exponendi Puerum noviter natum, aeris detrimento. Insuper, cum saepe detur, quod Pueri vix nati moriantur, Matri negaretur iste spiritalis fructus, si ad Templum accedere non posset nisi cum nova Prole.

16 Et quoniam de fructu spiritali loquutum est, videan-

tur omnes isti fructus late explicati a Quarto, *d. l. praelud. 2. n. 299.*

17 Secundo: An Mulieres post partum possint libere accedere ad Ecclesiam, absque praevia hac Benedictione? Cui respondeo: posse ingredi ad instar aliarum quia nusquam praecipitur oppositum, Sanchez *de Matrim. l. 9. disp. 22. n. 8.* Quart. *d. l. n. 301. disp. 1. Praelud. 3.*

Tertio: An ista Benedictio fieri debeat in sola Ecclesia Parochiali, et an a solo Parocho? Videtur, quod cum haec Benedictio sit quid consequens ad contractum Matrimonii, et Matrimonium non possit celebrari, nisi in Ecclesia Parochiali, ab ipso Parocho, vel ab alio Sacerdote, de ejus licentia, haec quoque Benedictio non sit impertienda, nisi in Ecclesia Parochiali, et a proprio Parocho: Et haec est sententia multis rationibus, et fundamentis comprobata a Pignatell. *T. 5. cons. 76.* Sed Quart. *d. l. dub. 2. num. 302.* tenet opinionem contrariam, nempe quod ista Benedictio dari possit in quavis Ecclesia, et a quovis Sacerdote sive Saeculari, sive Regulari, quia cum sit meri concilii, et devotionis, sicuti potest Puerpera libere ipsam Benedictionem vel suscipere, vel negligere: ita etiam potest pro ea suscipienda, eligere tum Ecclesiam, tum Sacerdotem ad suum libitum, atque ita fuisse decisum a S. C. refert Lezana *qq. RR. T. 1. c. 12. n. 41. et T. 2. verbo Benedicere, n. 17.* Disparitas enim inter Benedictionem Sponsorum, et Benedictionem puerperae est, quod prima cadit sub praeccepto, et aliquo modo est connexa solemnitati Matrimonii: secus vero Benedictio puerperae.

21 Hoc non obstante circa hanc Benedictionem aliud oraculum habemus a S. C. R. *in Urbis, et Orbis 10. Decembris 1703.* in qua resolvitur quidem hanc Benedictionem non esse de juribus mere Parochialibus, sed statim in eadem resolutione subjungitur illam fieri debere a Parochis, uti videre est apud Monacell, *in Formul. t. 2. f. 11.* et concordant adducti per Genuen. *Prax. c. 70. num. 13.* et per Emm. Lambertini in libro Instructionum f. 50.

22 Stola in hoc casu, et pro hac Benedictione, debet esse Albi coloris, quia cadit sub eodem Ritu, ac purificatio Beatae Mariae Virginis, pro qua utitur Ecclesia Paramentis Albi coloris.

23 24 Genuflexio ad limina Ecclesiae fit, ut clare pateat humilitas petentis, quae ex se declarat, non esse dignam, ut ingrediatur, cum adhuc impuram se confiteatur; Atque propter hoc Sacerdotem expectat, qui eam suscipiat. Ex hoc venit non esse approbandum morem illarum Foeminarum, quae erubescunt se sistere ad fores Ecclesiae; et ad Sacristiae portunculam se conferunt, et ex illa suscipiantur: hoc enim Rubricae Com.—P. 32.

opponitur, quae dicit: *ad fores Ecclesiae, non ad Sacristiam.* Quandocumque enim compleri vult iste actus liber, debet totaliter fieri ad normam praescriptam, et omnis erubescencia arceri in retam sancta.

25 26 Candela, quae defertur accensa a Puerpera, est quia Benedictionem non meretur nisi, qui timet Dominum, et mandatis ejus obtemperans, lucis exempla commonstrat, unde in Psalm. 117. habetur: *Ecce benedicetur Homo qui timet Dominum; et videas Filios Filiorum tuorum, etc.* Vel etiam in memoria, et reverentiam Beatae Mariae Virginis, quae cum processione Candelarum, et cum luminibus accensis ab Ecclesia colitur, Quart. de Benediction. l. 3. sect. 12. praelud. 2. num. 299. Qui etiam ait, lib. 2. prael. 3. dub. 2. n. 302, non posse Parochum sibi postulare, et usurpare Candelas, aut alia, quae occasione Benedictionis praedictae, a Mulieribus Puerperis Ecclesiis non parochialibus, etiam Regularium repraesentantur; sed ea pertinere ad ipsos Sacerdotes, vel Regulares, ut cum de la Crux, et aliis, probat Leander de Praeceptis Ecclesiae, Tract. 6. disp. 10, q. 10. ubi affert declarationem Sac. Congr. super hoc favore Regularium.

27 Per verba illa Quarti, *d. l. aut alia:* intelligi videntur quaedam oblationes, seu Buccellata, et dulciaria, quae tanquam pro Eleemosyna, et munere, sponte a puerperis offeruntur Sacerdoti illi, qui incommodum habet recipiendi illas in Ecclesia: quod licet expresse ab Ecclesia vetitum non sit, attamen aliquo modo potest cadere sub prohibitione primi Tituli generalis hujus Ritualis, §. 13. ubi monentur Parochi, ne in Sacramentorum administratione, aliquid, quavis de causa, vel occasione, directe, vel indirecte exigant, etc. Haec tamen Benedictio non est Sacramentum, sed Sacramentale, et pro consuetudine locorum, potest tolerari oblatio istarum rerum.

28 Quoad aspersionem cum Aqua Benedicta faciendam: cum ista Benedictio fiat ad mundandum, et purificandum, ideo bene stat ista aspersione cum Versiculo: *Asperges me Domine, et mundabor, etc.*

§. II. Deinde porrigens ad manum Mulieris extremam partem stolae, eam introducit in Ecclesiam, dicens: *Ingre- dere, etc.*

29 30 Ista porrectio stolae fit ad tutandam Foeminam ingredientem ab omni Diabolico incursu, et ad faciendam illi partem rei sacrae, de qua agitur, eodem modo quo fit in Ministratione Sacramenti Baptismi. Vide quae illo loco diximus De

Ordine Baptismi Parvulorum, §. 10. et etiam in Baptismo Adultorum, §. 23. ubi advertendum, quod sinistra pars Stolae Sacerdotalis ea esse debet, quae porrigatur, ita et taliter, ut faciliter a manu dextera Mulieris ingredientis accipi possit, et hoc pacto intrare, et progredi in Ecclesiam stans ad sinistram Sacerdotis illam suscipientis, cui locus dignior convenit.

§. III. Et ipsa ingressa genuflectit coram Altari, et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis, et Sacerdos dicit, *Kyrie eleison, etc.*

31 Mulier genuflectit, et Sacerdos stat. Ista orat; et hic Preces a Rituali assignatas recitat.

32 Altare, ante quod sistere debeat Foemina, regulariter esse potest illud, in quo asservatur Sanctissima Eucharistia in Tabernaculo, quia ibi vere sub speciebus Sacramentalibus existit Filius Dei natus ex Maria Virgine, et ita bene diriguntur verba illa Ritualis: *Adora Filium Beatae Mariae Virginis, etc.* Nihilominus ista verba non adeo stricte intelligenda sunt, ut prohibeatur ne accedat ad Altare Beatae Mariae Virginis, quatenus adsit in illa Ecclesia.

33 Oratio facienda a Muliere perducere debet ad sui libitum, nec opus est, ut Sacerdos expectet finem illius: sed procedere debet cum praescriptis precibus; quibus finitis, eam ad Altare orantem relinquere potest.

§. IV. Deinde illam aspergit iterum Aqua benedicta, in modum Crucis, dicens: *Pax, et Benedictio, etc.*

34 Nova aspersione fit pro terminatione actus, qua plene purificata remaneat Mulier in Anima sua; de effectibus Aquae Benedictae multoties diximus, et iterum suo loco, dicemus, Titulo XLV.

Remanet, ut de Psalmo: *Domini est Terra, et plenitudo ejus, etc.* assignato pro hac Benedictione aliquid dicam. Iste Psalmus in ordine Psalterii Davidici est 23. et nuncupatur *Psalmus Ascensionis Dominicae*, quia in illo habetur speciose mentio de Ascensione Filii Dei, Bellarm. in *Psal. 23.* Ad Benedictionem illam pertinent illa verba in hoc Psalmo. *Quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. Hic accipiet Benedictionem a Domino.* Atque ideo assignatur recitandus in ista Benedictione.